DE VARIIS ERYSIPELATIS FORMIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

OTTOMAR SCHOMBURGK

SAXO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

W. PHEMEL, MED. ET CHIR. DR.
G. AUST, MED. ET CHIR. DR.
R. GEISLER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

COGNATO

OPTIMO, DILECTISSIMO

GUSTAVO AECKERLEIN,

NECNON

PATRUO

HUMANISSIMO, CARISSIMO

HENR. SCHOMBURGK,

VIRIS SUMME DE SE MERITIS,

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Noli, benevole lector, novi aliquid quaerere in hocce opusculo, quod scripsi, ut legibus facultatis satisfaciam, non ut nova proferam praecepta. Non est tironis docere, sed discere et probare, quae a praeceptoribus acceperit, se intellexisse, quae viderit, animo quoque pensitasse. At cogites, quaeso, quibus premor, temporis angustias et aetatem juvenilem, sisque eam ob rem minus severus judex.

Munere chirurgi inferioris in nosocomio Caritatis fungenti saepissime occasio mihi data est, observandi varias ac diversas erysipelatis formas, erysipelas genuinum et erysipelas spurium.

Quae quum curatione longe inter se differant, operae pretium putavi, accuratius attendere animum ad eorum symptomata et decursum, et, quibus potissimum rebus inter se discrepent, exponere.

LITERATURA.

Reil, Erkenntniſs und Kur der Fieber. 2. Aufl. 1804. Th. II. S. 366.

C. Markus, Magazin für specielle Therapie, Clinik und Staatsarzneikunde. Bamberg 1806. Bd. II. St. 2.

J. Brown's sämmtliche Werke. Aus dem Engl. von Röschlaub. Frankfurt a. M. 1806. Bd. II.

K. Sprengels Handbuch der Pathologie. Leipzig 1807. Th. II.

E. V. Closier, Essai sur l'érysipèle, considéré dans son état de complication avec la fièvre adynamique.

Richerand, Nosographie chirurgicale. T. I. pag. 8.

Marcus, Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg 1812. Th. III.

Hildenbrand, Ratio medendi. Vienn. 1813. Th. II.

Hutchinson, Ueber die Behandlung der Rose mittelst Incision, in med. chir. Transactions Vol. V. p. 278. etc. Lond. 1814.

C. B. Rubbens. Dissertatio de erysipelate. Paris 1814.

W. W. Kutsch. Dissertatio de erysipelate neonatorum et induratione telae cellulosae. Groening. 1816.

J. G. Bernstein, pract. Handb. für Wundärzte.

T. Cooper, Handbuch der Chirurgie. Aus dem Engl. v. Froriep. Weimar 1819.

J. N. Rust, Das Pseudoerysipelas, eine noch nicht hinreichend erkannte Krankheitsform, in dessen Magazin Bd. VIII. Heft 3. S. 498.

S. J. Vogel, Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft. Stendal 1820.

H. Wolff, Beitrag zur Lehre von den rosenartigen Entzündungen in: v. Graefe's und Walthers Journal. Bd. VIII. Heft I.

M. J. Chelius. Handb. der Chirurgie. Heidelb. u. Leipz. 1826.

Honke. Ueber die Rose, in Horns Archiv. Bd. VI. H. 1. No 1.

Eadem nobis occurrunt in hisce morbis, de quibus scribere conatus sum, signa essentialia, quae veteres in dignoscendis inflammationibus respexere, calor, rubor, tumor, dolor, functio laesa. Quae, quomodo inter se discrepent in singulis, et quae ad singulos accedant, describendo explicare studebo.

I. ERYSIPELAS GENUINUM.

Erysipelas (ἐρυσός rubor, πέλας tumor) Rosa, Ignis sacer, Ignis St. Antonii ille vocatur morbus cutis, qui rubore plerumque e roseo albicante, vel livido flavescente, rarius nigricante, diffuso insignitur, conjunctus cum digestione turbata, et febri plerumque gastrico-biliosa, rarius inflammatoria.

Utrum inflammatio mera sit cutis, an exanthema, autores inter se dissentiunt. Alii extimae cutis vascula, alii folliculos sebaceos, alii rete Malpighianum laborare opinantur. At si respicias originem, quam ex internis ducit vitiis organismi, si sedem, si decursum et exitum, si denique remedia, quae optime inserviunt sanando ery-

sipelati, vix dubitabis, quin habendum sit pro exanthemate. Jam Burserius hanc professus esse videtur opinionem, quippe qui erysipelas inflammationem spuriam dicat.

Omnes corripere potest partes, ad quas aditus patet aëri atmosphaerico, si fortasse eas excipis, quae operationibus plasticis organismo sunt insertae. Etenim secundum observationes Cel. Dieffenbach erysipelas, si partem corripit, ad quam ex alia regione cutis est transplantata, lobo ipsi transplantato parcens, usque ad ejus marginem tantum prorepit, ita ut lobus ille pallidus, et colore cutis naturali insignis, e media parte rubefacta emergat. Causam in eo ponendam esse puto, quod pars transplantata propter pauca vasa, quibus cum loco affecto cohaerere solet, vix ad talem mutationem opportuna sit. Attamen multum interesse videtur, e qua parte lobus sit transplantatus, utrum abundet illa vasis et nervis, nec ne. Nam in puella, cui cutis e labio superiore, quod ad partes corporis humani vasis et nervis ditissimas nemo non numerat, in genam erat insita, quum id faciei latus, in quo defectus per operationem plasticam erat instauratus, erysipelate corriperetur, lobum quoque illum vidi affectum, imo rubore majore excellentem. Saepissime facies, vel extremitates morbo nostro obsidentur.

AETIOLOGIA.

Caussae praedisponentes hae fere sunt memorandae:

Quod ad sexum attinet, sequiorem ad erysipelas pro-

pensiorem videmus, quam potiorem; haud minus consideranda venit aetas, senes enim saepissime erysipelate habituali laborare scimus; praeterea temperamentum sanguineum et cholericum, cachexiae, cacochymiae, suppressiones mensium et haemorrhoidum, graviditas, digestionis anomaliae, vitae genus, erysipelas ipsum nonnullius sunt momenti.

Caussarum occasionalium praecipua habetur constitutio annua. Saepissime occurrit erysipelas tempore autumnali, vel aliis anni temporibus, quibus dies calidos noctes excipiunt frigidae, humidae. Hisque temporibus haud raro erysipelas invenimus populare.

Haud levioris ponderis sunt graviores animi motus, praesertim deprimentes, ira, terror; abusus alimentorum, eorumque crudorum, quae cruditates stomacho et intestinis parant; abusus spirituosorum. Multis hominibus post esum astacorum, mytilorum, echinarum aliorumque ejusmodi, multis post esum allii, ceparum, fungorum efflorescit erysipelas, quod Graecis *ἰδιοσυνκρασία* vocatur. Haud raro erysipelas subitas sequitur corporis refrigerationes, cum vel aëri frigido humido corpus imprudentius committimus, vel in fluvium decidimus. Nec immerito haecce causa gravissima plebi habetur, duae enim simul in corpus irruunt res aptissimae ad provocandum erysipelas, terror et refrigeratio.

Praeterea nominantur ab auctoribus mensium, haemorrhoidum, aliarumque excretionum suetarum suppressiones, et quae sunt alia.

DIAGNOSIS.

Invenimus in aliqua corporis parte majore minoreve ruborem quendam, plerumque e roseo albicantem, vel flavescentem, rarius ex rubro nigricantem, aequalem, lateque sine ulla figurae circumscriptione diffusum, cujus id proprium est, ut, si digito prematur, evanescat, albidumque vestigium relinquat, sublata pressione statim recurrat. Cutis tumet, tenditur, ardet, splendet. Doloribus minus, quam pruritu et ardore erysipelas infestat.

Adesse solet febris, quae erysipelas pro diversa ejus ratione vel antecedit et post ejus eruptionem evanescit, vel comitatur, plerumque gastrica, aut gastrico-biliosa. Ceterum id peculiare et proprium est erysipelati, ut ad partes propinquas serpat a loco primitus affecto. —

Secundum formam, locum affectum, decursum et exitum varias discernunt auctores erysipelatis species, quarum graviores paucis commemorabo.

1) Erysipelas pustulosum, bullosum eo differt ab erysipelate simplice, supra descripto, quod singulares bullae majores minoresve, formae irregularis, ex epidermide emergunt, quae comite graviore febri, non raro synocho gastrico, in majores confluunt, rumpuntur, et majoribus vel furfuraceis squamis dejiciuntur, relinquentes rubefactam eam regionem, ex qua emerserant. Serpit ad regiones vicinas, exhibens bullas recentes, quae eodem modo evânescunt.

Haud raro, in hominibus praesertim cachecticis,

hae bullae ad gangraenam vergunt, stipantur typho, cui aeger facile succumbit.

2) Erysipelas oedematodes illa vocatur species, in qua rubor pallidus, tumor major, mollis, serosum quasi humorem continens, invenitur, digitorum pressione foveas relinquens. Occupat interdum homines cachecticos, ad affectiones hydropicas opportunos. Discernenda sane illa est species, quae saepius ad oedemata accedit, si cutis punctione, vel incisione, vel hirudinibus vulnerata est, quippe quae majore jure referenda sit ad pseuderysipelas.

3) Erysipelas scirrhodes alii illud vocant, quod majore duritie excellit, alii quod accedit ad scirrhum.

4) Erysipelas malignum, gangraenosum, typhodes, Ignis St. Antonii. Erysipelas quodque benignum, praecipue bullosum, mutari potest in hanc funestam formam, quam si rarius observamus quam veteres, multum tribuendum videtur curationi meliori, ad naturam morbi magis accommodatae.

Observatum enim saepius est, ubi remediis ineptis, praesertim humidis, vel irritantibus usi sunt, vel ubi morbus, vehementius homines robustos, plethoricos adgressus initio neglectus est.

Tendere videmus erysipelas hunc ad exitum perniciosum in hominibus cachecticis, debilitatis, quorum vires diutinis morbis fractae sunt, febri typhosa laborantibus, idem oriri videmus per metastases, per crises cet.

Timendus est hic exitus, ubi protrahitur febris postquam jam erupit erysipelas, ubi febris naturam prae se fert adynamicam.

Insigne est erysipelas gangraenosum rubore nigricante, vel bullis lividis nigricantibus, febri typhosa, turbato plerumque sensorio.

At diversum ab ista specie, magis ad exitum erysipelatis pertinente, illud est erysipelas, quod jam a primo exordio ad destructiones tendit maximas, lethales, cui apud veteres nomen est Ignis St. Antonii.

Vulgo epidemicnm reperitur. Caussae, quibus provocetur, eaedem fere accusantur, quae in provocando typho multum valere putantur, prae omnibus constitutio annua, praeterea eae injuriae, quae systema vasorum afficiunt, quae cacochymias gignunt, quae systema nervorum, quae totum corpus debilitant.

Hanc vero Ignis St. Antonii praebet speciem:

Febris vehementissima vel accedit ad erysipelas jam excultum, vel paullo antecedit, et ultra eruptionem persistit, naturam statim prae se ferens asthenicam.

Maxima aegrum invadit laxitas atque languor corporis, summa animi depressio, inquies, nausea, vomiturationes; secretiones et excretiones vel turbantur, vel supprimuntur. Oriuntur deliria, sopor, deliquia animi, subsultus tendinum, convulsiones, carphologia, et quae sunt alia.

Quae dum aegrum infestant, efflorescit erysipelas in humeris aut brachiis, aut in collo, plerumque in scroto,

et celerrime prorepit. Partes illae vehementissime intumescunt, doloribus aeger cruciatur maximis.

Rubor, quo suffunditur pars correpta, fuscus magis magisque nigrescit, et mox plurimae emergunt bullae nigricantes, gangraenosae, repletae ichore tenui, corrosivo, foetido, qui partes vicinas exedit, et usque ad ossa destruit, donec vitae miserae finem faciunt colliquationes.

5) Erysipelas ambulans, vagum inde ducit nomen, quod ab alia ad aliam partem huc illuc vagatur. Origo ejus deducenda plerumque est ex vitiis hepatis. Haud raro periculum offert aegro per metastases, quae facillime organa petunt interna, praesertim ubi imprudenter remediis humidis curatur.

6) Erysipelas contra fixum vocatur, si locum semper tenet eundem, quem occupavit.

7) Erysipelas habituale. Sunt, qui saepius per annum, haud raro singulis mensibus, corripiantur morbo nostro.

Caussae praecipue vocantur: Cachexiae, vitia hepatis, arthritis anomala, mensium et haemorrhoidum retentio vel suppressio.

8) Erysipelas retrogressum.

Refrigerationibus recentibus, remediis humidis, frigidis, adstringentibus, si quae in usum vocantur externum, vehementibus animi affectibus, detractionibus sanguinis temere et abunde factis, erysipelas facile repellitur ad partes internas. Quibus injuriis corpori illatis, subito ex partibus externis, quibus insidebat, evanescit, et mox

symptomata prodeunt, quae indicant, morbum infestare organa interna: febris vehementissima, sopor, deliria et quae sunt alia pro varia ac diversa morbi sede.

9) Erysipelas epidemicum. Haud raro tempore autumnali et vernali, vel alio, quod insigne est febribus catarrhalibus, rheumaticis, gastrico-catarrhalibus, vel gastrico-biliosis, erysipelas invenimus populare. Sic comitem vidimus catarrhi epidemici.

10) Erysipelas ulcerosum brevibus infra commemorabo, ubi disserendum mihi erit de decursu et exitu erysipelatis.

11) Erysipelas capitis vel caput integrum, vel capillitium, vel faciem, vel singulares faciei partes, palpebras, auriculas, nasum, occupat. Affectio localis optimam praebere solet speciem erysipelatis genuini simplicis.

Saepissime existit in hominibus robustis, plethoricis, deditis abusui spirituosorum, conjunctum plerumque signis sordium gastricarum, et febri haud exigua. Maximum periculum aegro affert ob viciniam cerebri, quod affectum esse, ex vehementissimis doloribus capitis, ex deliriis, sopore, insultibus apoplecticis et aliis perspicitur. Attamen curatione idonea plerumque contingit, ut periculum avertatur, et aeger salvus evadat.

12) Erysipelas mammarum interdum in puerperis observatur, vehementissimis doloribus turbataque excretione lactis molestias inferens. Rarius primis pubertatis annis puellas infestat, quarum menstruatio est difficilis, vel impedita, vel retenta.

13) Erysipelas pedum homines plerumque corripit cachecticos, eosque qui diu pedum ulceribus, exanthematibus chronicis, oedemate laborarunt, potatores, opifices, qui vel multum pedibus insistunt, vel refrigerationibus pedum crebris obnoxii sunt in perficiendis muneribus, ut nautas, figulos, cerdones, alios.

DECURSUS ET EXITUS.

Antecedere solent erysipelas per dies aliquot capitis et corporis gravitas et inertia, lassitudo, dejectio animi, anxietas, horripilationes. Tum symptomata febris gastricae, interdum gastrico-catarrhalis, clarius manifestantur. Conqueritur aeger de calore, de siti intensa, de capitis, dorsi, artuum dolore, de gastrodynia, de pondere permolesto circa praecordia, de tensione hypochondriorum; saporem exiguum percipit, vel amarum, cibi desiderium fere deficit, vomituritiones adsunt et nausea, obducitur lingua muco flavescente, sordido, saepe halitus oris foetet. Accedunt haud raro magna somnolentia, mentis perturbatio, deliria, sopor.

Quae febris postquam biduum vel triduum perduravit, subito erumpit erysipelas, desinente plerumque febri, vel remittente, vel, quod rarius observatur, eandem ac antea vehementiam obtinente.

Initio plerumque modice rubet, exiguum occupat locum, ac levi cum tensione, pruritu et dolore conjungitur.

Tum per triduum increscit, latius diffunditur, et majore simul calore, tensione doloreque excruciat aegrum.

In hoc statu omnia per triduum persistunt, aut in erysipelate bulloso bullulis cutis exasperatur atque inaequalis redditur. Nunc denique rubor evanescit, cutis subsidit et relaxatur, sicque malum epidermide frustulatim secedente resolvi consuevit. Nono plerumque die erysipelas absolutum est.

Hunc optimum maximeque exoptatum habes morbi exitum, resolutionem. At nequaquam semper contingit, ut medicus hoc decursu benigno laetetur, haud raro ulceratio, gangraena, metastases aegro periculum summum afferunt.

Ulcerationem erysipelas interdum subit in hominibus cachecticis, vel ubi imprudenter remediis curatum est humidis, frigidis, pinguibus, nec raro erysipelas oedematodes.

Timenda autem est ulceratio, si febris ultra eruptionem erysipelatis protrahitur, si rubor intensior evadit et pressione vix albicat, si tumor durior renititur. Haud raro accessio febris suppuratoriae hunc indicat exitum. Sin jam exorta est ulceratio, maximam diligentiam et curam adhibeas oportet, ut impedias, quominus telam cellulosam et musculos malum corripiat, et omnia usque ad ossa destruat.

Gangraenam subire erysipelas observatur, si potius hominibus cachecticis, scorbuticis, si epidemice vagatur, comitibus febribus putridis, nervosis, si erysipelas benignum, idque bullosum, imprudenter curatum est.

Febris gastrica, vel quae alia eruptionem antecedebat, longius protrahitur et mox naturam adsciscit asthenicam, aut si jam evanuerat post ejus eruptionem, subito corripitur aeger febri nervosa. Dolores et rubor roseus repente cedunt, exasperatur cutis phlyctaenis vel bullis lividis, nigrescentibus, ichorem continentibus, tenuem, foedum, corrosivum. Decursus hujus erysipelatis gangraenosi non est, ut describatur, habes enim, si noveris, quodammodo decurrat gangraena ipsa.

De metastasibus eadem fere sunt disserenda, quae supra dixi de erysipelate retrogresso. Maxime timendas esse metastases, jam cernitur in ejus cursu vago, erratico. Incumbunt autem plerumque in cerebrum, pulmones, hepar, ventriculum, tractum intestinalem, quorum affectiones gravissimis, vehementissimis symptomatibus manifestantur, et facile mortem afferunt.

Rarissime egreditur ad partes externas.

PROGNOSIS.

Erysipelas leve malum nulliusque momenti quibusdam creditur, at quamquam insons saepe, imo salutare sit, felicemque exitum sortiatur, non tamen semper periculo vacat, nec negligendum plane est. Multum in eo dijudicando formam et naturam valere arbitror.

Simplex, benignum, fixum, minus discriminis habet, quam complicatum, malignum, ambulans; die plerumque nono aut septimo resolvitur. Erysipelas ambulans majoris momenti est, quod facillime ad partes internas re-

tropellitur; gangraenosum maximum aegro periculum affert, quod vix prohiberi potest, quominus omnia, quae ei vicina sunt, destruat.

Bullosum exigui fere momenti est, dummodo caute et prudenter curetur.

Habituale ne subito opprimatur, maxime cavendum, eodem enim modo ad derivationem natura hoc malo utitur, quam ulceribus habitualibus.

Quod caput, faciem, palpebras infestat, gravius est plerumque, quippe quod cerebrum male afficiat.

Praeterea periculum imminet, si intra septem aut novem dies non resolvitur, timenda enim tunc est suppuratio aut gangraena, quarum secundam imminere testantur doloris et ruboris defectio, et phlyctaenae in summa cute exortae, lividae, nigricantes.

CURATIO.

Quod ad remedia, quae laudantur in curando erysipelate, primum tenent locum interna, quod plerumque, e quibus originem duxit erysipelas, removenda sunt vitia organorum internorum.

Venaesectiones, quae in inflammationibus omnium plurimum valent, raro tantum, nec nisi caute, adhibendae sunt, quia, quaecunque debilitent aegrum, retrogressuro erysipelati favent. Attamen laudantur, ubi erysipelas ortum est ex mensibus aut haemorrhoidibus suppressis, et necessariae interdum sunt in curando erysipelate capitis.

Ab hirudinibus, quantum potes, abstineas; e vulne-

ribus enim, quae relinquunt, facillime nascitur gangraena. Si maxima necessitas urget, sat procul applices eas a loco affecto.

Erysipelas simplex, benignum, ubi febrem reperis fere nullam, digestionem integram, medicamina nulla exigit; prohibitis enim injuriis novis, mox sanus evadet aeger.

At rarissime hanc speciem praebet meram et simplicem; multo saepius reperies linguam muco obtectam, crasso, sordido, et alia sordium gastricarum signa. Tunc optime prosunt emetica. Suadendum tamen est, si erysipelas capitis curandum tibi obvenit, conjunctum, ut solet, vehementibus congestionibus sanguinis ad cerebrum, ut, priusquam emeticum porrigas, sanguinem mittas, vel, si fieri potest, abstineas ab emetico.

Tum apta sunt laxantia: salia neutra, Folia Sennae, Manna, Tamarindi, pulpa prunorum, cremor tartari, et alia quae alvum lenius laxant.

Ubi sudor manare incipit, curandum est, ut is per totum corpus diffundatur, quod praestant sorbitio infusi calidi Chamomill., Sambuc., Tartari stibiat. refractae doses, Vinum Antimonii, Spiritus Mindereri, alia.

Erysipelas capitis prae omnibus poscere solet antiphlogistica, ut congestiones sanguinis minuantur, et impediatur, quominus oriatur encephalitis: Nitrum, Magnes. sulphur., Natron sulphuric., Inf. Senn. comp. etc. Haud raro detractio sanguinis instituatur oportet. Quid de emeticis sit censendum, supra dixi.

At contra erysipelas gangraenosum plane nihil valent illa remedia, graviora adhibeantur necesse est, ut Camphora, Moschus, Opium, Ammonium carbonic., Serpentaria, Valeriana, China, Aether, Liquor cornu cervi, acida mineralia etc.

Si erysipelas est retrogressum, maxime id agendum est, ut ad partes eliciatur externas. Prima omnium, quae hoc efficere valeant, laudantur venaesectiones et emetica. Quibus si non contigit, ut restitueretur erysipelas, in usum vocentur Nitrum, Moschus, Camphora, Liquor cornu cervi, balnea calida etc. Nec negligenda sunt remedia externa, ut frictiones rubefacientia, vesicatoria.

Restat, ut brevibus disseram de remediis externis; pauca sunt, plerumque fere nulla. Erysipelas simplex, benignum medicamina externa utplurimum non poscit; sufficit, ut locum a frigore aut accessu aëris tueamur. Prosunt pulvinaria repleta floribus Chamomillae, florib. Sambuc., herbis aromaticis, farina fabarum, furfure triticeo, quibus adjungere potes paullulum Camphorae, prosunt stupae, pelles leporum, cuniculorum, felium.

Abstineas a remediis frigidis, humidis, praesertim ab aqua saturnina, facillime retropellunt erysipelas, abstineas ab unguentis, emplastris, remediis resinosis, spirituosis, pinguibus, summum afferunt aegro periculum, augent symptomata, provocant gangraenam.

Quodsi erysipelas ulcerationem subit, utilia sunt cataplasmata emollientia, donec abscessus cultro aperiri possit. Tum ulcus cures pro varia natura ac vitae gradu.

Erysipelas contra bullosum haud raro calorem siccum non ferens, fomenta postulat tepida, praecipue parata ex aqua saturnina. Bullae aperiantur acu et lympha, quam continent, evacuetur.

At multum ab illis differt curatio erysipelatis gangraenosi.

Prae omnibus ichori incisionibus exitus est parandus, utendumque alexipharmacis atque antisepticis, e quibus excellunt cortex peruvianus, cortex quercus, Camphora, Myrrha, Chlorum, Calcaria chlorinica, Carbo, flores Chamomillae. Tum necesse est, vitam partis aegrotantis ita evehi, ut apta sit, quae partes emortuas suppuratione extrudat. Quocirca multum praestant species aromaticae, oleum terebinthinae, vinum camphoratum, acetum pyrolignosum, ferrum candens.

Restat, ut brevibus disseram de Erysipelate Neonatorum.

Observari solet in orphanotropheis, et domiciliis angustis, repletis aëre spisso, impuro. Itaque caussarum, quae gignunt morbum nostrum, praecipua nominanda videtur constitutio stationaria. Praeterea accusantur nutrimenta incongrua, corrupta, cachexiae et dyscrasiae, quae inhaerent matri, motus animi, quibus corripitur mater, ira, terror, salacitas, refrigeratio.

Discernendus ille est rubor flavescens ab erysipelate nostro, qui brevi post partum, irritamento aëris et lucis provocatur, per faciem neonati diffundi solet, et nihil minitans periculi mox evanescit.

Multo majus periculum affert morbus noster, gravissimis saepe symptomatibus insignis, cujus decursus fere hic est.

Postquam infantes per aliquot dies inquietos se gessere, e somno saepius subito excussi parum dormivere, femora flentes attraxere ad corpus, cibi desiderium nullum habuere, ructibus et vomitu laboravere, febris accedit et mox erysipelas erumpit. Interdum icterus antecedit regionis umbilicalis, interdum miliaria, convulsiones, trismus; raro subito prorumpit. Plerumque faciem occupat et abdomen. Rubor exiguum primo tenet locum, mox latius propagatur, flavescit, vel ubi majore cum vehementia irruit, fuscus evadit e rubro, conjungitur cum intumescentia mediocri, insigni magna duritie, quae resistit impressioni digitorum, temperatura adaucta. Lingua muco obtegitur albido. Febris post eruptionem evanescere solet.

Ubi graviorum symptomatum expers tam leniter decurrit, facile resolvi consuevit. Majus periculum imminet vitae tenerae, si febris ultra eruptionem protrahitur, si augetur, si lingua arida est et calida, si accedit vomitus creber, alvus viridis, urina fusca, si vehementibus cruciatur neonatus doloribus et anxietate, si alias partes reperis calidas, extremitates nimis frigidas, si oriuntur aphthae, accedunt praeterea convulsiones et trismus, vix non mors instat inevitabilis.

De prognosi eadem fere sunt dicenda, ac de illa, quam exhibet erysipelas adultorum. At respicias organismum tenerum, qui vel leviores affectiones male fert,

cogites, quam fugax sit malum nostrum, et quantopere adamet regredi.

Quod genitalia corripit, facile tendit ad gangraenam.

Curatio secundum easdem leges instituenda est, quae propositae sunt de curando erysipelate adultorum.

Maxime laudantur evacuantia: vinum stibiatum, tinctura Rhei, Syrup. Mannae, Inf. Senn. compositum, Calomelas et antacida: Magnesia carbonica, Natron carbonicum, kali carbonicum, Magnesia usta, quae posteriora tum praecipue adhibeantur, si alvus est viridis. Ubi convulsiones animadvertuntur, dentur Moschus, Valeriana, balnea aromatica et alia. Extrinsecus eadem applicentur remedia, quae supra nominavi.

II. PSEUDERYSIPELAS.

Pseuderysipelas, Erysipelas spurium illa est affectio cutis inflammatoria, quae eandem formam, ac erysipelas, eademque fere symptomata, ruborem diffusum, tumorem, dolorem, calorem prae se ferens, multum discrepat causis, natura, decursu et exitu.

Pro variis caussis, quae provocant morbum nostrum, duo distinguenda sunt genera: Erysipelas spurium idiopathicum, quod efficitur caussis primariis, cutem ipsam infestantibus, et Erysipelas spurium symptomaticum, quod nascitur e morbis aliis sub cute jam sedentibus. Jam me convertam ad singula.

1) Erysipelas spurium idiopathicum, Erythema, Dermatitis partialis, illa est inflammatio

cutis, quae injuriis externis vel mechanicis, vel chemicis provocata plerumque in epidermide sola, interdum in reticulo Malpighiano sedet.

AETIOLOGIA.

Quae de caussis dicantur, pauca sunt et omnium ore trita.

Praedispositio in cute ipsa est collocanda, cutis enim tenera, valde irritabilis, vulnerabilis, facillime irritamentis externis male afficitur. Proinde saepissime nobis occurrit morbus noster in infantibus et sexu sequiore.

Caussam occasionalem omnes fere exhibere possunt res, quibus offenditur corpus humanum. Praecipuae sunt frictiones vestimentorum, pressio continua, laesiones cutis, spinis, assulis, acubus effectae, incisiones, morsus et puncturae serpentum, scorpionum, vesparum, apium, culicum, pulicum, cymicum, morsus canum, eorumque furiosorum, quorum animalium plurima non tam vulnerationibus, quas efficiunt, levibus, quam veneno quodam, quod simul inserunt vulneri, maxime valent ad provocandum hoc pseuderysipelas.

Nominandae porro sunt plantae illae, quibus principium quoddam inest acre: Sinapis, Piper, Zedoaria, Capsicum, Mezereum, Armoracia, Rhus toxicodendron, aliae; huc quoque referendae sunt Cantharides. Praeterea saepissime provocatur remediis irritantibus, et resinosis et spirituosis et aethereis et causticis, igne, calore et frigore. Multorum cutis adeo tenera et vulnerabilis est, ut vix unguentum ullum ferat, quin exoriatur erythema.

Quodsi respicias erysipelas, jam caussis multum discrepare a pseuderysipelate nostro, facili tibi erit perspicuum. Etenim, quam erysipelas capit ex abdomine, praedispositionem, invenies, ad gignendum erythema inesse cuti ipsi; caussae, quae provocant erysipelas, occasionales plerumque sunt internae, quae erythema, semper foris afficiunt cutem.

DIAGNOSIS.

Omnia fere reperis signa, quae erysipelas tibi offert, ruborem roseum diffusum, albescentem pressione digitorum, minus tamen, si vis, flavescentem, dolorem urentem, tumorem, temperaturam mediocriter adauctam. Eo tamen facile dignoscitur et discernitur ab erysipelate, quod vel febris omnino abest, vel subsequitur, ubi majorem occupat locum, levis synocha.

DECURSUS.

Decursus brevis et brevibus est describendus.

Omnibus prodromis, quos antecedere erysipelatis genuini eruptionem, eosque plerumque haud leves semper videmus, deficientibus, locus affectus mox post illatam injuriam rubore superfunditur roseo, fixo, qui eundem semper tenet locum, ad quem mox accedunt dolores urentes, tumor modicus, temperatura aliquantulum adaucta. Postquam paululum increvere et latius propagata sunt symptomata illa, intra paucos dies resolvi solet morbus, secedente interdum, sicut in erysipelate, frustulatim epider-

mide. Interdum, si vehementius decurrebat, ulcerationem, rarius nec nisi in hominibus cachecticis, gangraenam subit.

Febris vel per totum morbi decursum nulla reperitur, vel ubi magnum occupat erythema locum, si corripuit hominem valde irritabilem, si noxae majorem vim exseruerunt, serius accedit synocha.

At in decursu eo praecipue distat erythema ab erysipelate, quod non stadia sequitur certa, definita, quod eundem semper tenet locum, quem occupaverat ab exordio, et quod febris vel nulla adest, vel subsequitur.

PROGNOSIS.

Leve plerumque est malum nulliusque momenti, quod ut intra paucos dies sanetur, curatione apta ac congrua fere semper efficitur.

Ne sicuti erysipelas, retrogrediatur ad partes internas, vel ad alium vagetur cutis locum, plane non est timendum. Gangraena rarissime observatur, et tum facile prohibetur, quominus latius propagetur, quippe quae cutem plerumque solam corripiat extimam.

CURATIO.

Quae in curando erysipelate maxime prosunt, pulvinaria repleta herbis aromaticis et talibus, hic omnino nocent, inflammationem augent, gangraenam gignunt. Erythema plane contrarium postulat, frigus. Imponantur epithemata frigida, glacies, humus frigida, folia recentia brassicae, plantaginis, vitis et aliarum plantarum, trita tubera solani tuberosi, contusae radices Danci etc.

Quibus remediis levioribus si malum resistit, hiru-

dines applices circa locum inflammatum, et epithemata imponas frigida, parata ex aqua saturnina, aqua vulneraria Thedenii. Si intra tres vel quatuor dies inflammatio non resolvitur, pro epithematibus praescribas fomenta parata ex infuso florum sambuci, vel florum Chamomillae, quibus addas pauxillum aceti saturnini. Ubi ad gangraenam tendit inflammatio, pares fomenta ex herbis aromaticis.

Si accessit Synocha, internis quoque medicaminibus utaris necesse est. Hic omnia in usum vocari possunt antiphlogistica: Nitrum, Ammonium muriaticum, Natron sulphuricum, Magnesia sulphurica, Tartarus stibiatus, Tartarus depuratus, Tartarus tartarisatus, et aliae, imo venaesectio. Si magnis doloribus cruciatur aeger, licet adhibere narcotica frigida, Hyoscyamum, Acidum hydrocyanicum etc.

Superest, ut remedia illa brevibus commemorem, quae pro variis caussis, quae genuerunt erythema, in singulis casibus multum prodesse, experientia docuit.

Laudatur liquor Ammonii caustici in curando eo erythemate, quod provocatum sit punctura calicis; si punctura apis ortum sit, vel vespae, suadent alii, ut imponatur mel, alii, ut insecta illa super vulnere conterantur. Eodemque fere modo in illis regionibus, in quibus scorpiones et serpentes saepissime homines infestant, quae eorum morsibus et puncturis efficiuntur, curantur erythemata. Spiritu enim frumenti, in quo serpentes necatas servarunt, non vulnera solum, quae fecere animalia illa, lavant, sed etiam intrinsecus ipsum adhibent.

Ubi solis radii erythema faciei evocarunt, laudatur cremor lactis.

2) Erysipelas spurium symptomaticum, consensuale, Pseuderysipelas stricte sic dictum.

Pseuderysipelas hocce, etsi eadem fere signa cutis offert, ac illa duo genera, quae modo descripsi, omnibus tamen aliis rebus plane distat. Sedes enim morbi nostri, non in cute, sed in partibus quae ei subsunt, est collocanda; cutis laborat per consensum pendetque affectio erysipelacea a morbis aliis, qui quam varii ac diversi esse possint, dicere conabor, ubi de caussis mihi erit disserendum. Quid igitur nomen sibi velit Erysipelas, facile est intellectu. In congestione magis sanguinis positum est malum nostrum, quam in inflammatione cutis, quod eo perspicuum est, quod rubor simul evanescit, atque pus incisionibus ablatum est.

Quin si veram ac primitivam vocis significationem »tumor ruber« intellectam velis, ineptum est nomen et rejiciendum, symptoma indicat, non morbum. At meum non est vituperare, quod statuere viri illustrissimi, sed ostendere potius, me intellexisse, quid illi intellectum velint.

AETIOLOGIA.

Magnum est agmen morborum, qui insidentes partibus variis sub cute positis morbum hunc symptomaticum movent; quorum praecipuum sistit degeneratio illa telae cellulosae, cui Kluge nomen indidit necrosis telae

cellulosae, praesertim si qua caussa oblata in ulceratio-nem transit, vel gangraenam. Praeterea provocatur in-flammatione telae cellulosae, myitide, syndesmitide, pe-riostitide, abscessibus, ulcerationibus, gangraena, carie, necrosi, exostosibus, fracturis, et multis aliis malis, quae partes subcutaneas corripiunt.

DIAGNOSIS.

Symptomata, quae nobis offert erysipelas spurium symptomaticum, ita describam, ut recenseam, quibus re-bus differant ab illis erysipelatis genuini.

Rubor minus aequabilis reperitur, quam in erysipe-late genuino, passim magis saturatus, interdum violaceus, temperatura partis aegrae multo minus est adaucta; tu-morem non sentimus tensum, sed pastosum et mollem, haud raro durum hic illic et tuberculosum. Saepissime fluctuans animadvertimus pus, quod conflatum est sub cute.

Non de pruritu queritur aeger, sed de dolore ingente, lancinante, pulsante, quem profundioribus partibus insidere sentiat. Febris non antecedit, sed serius accedit et per totum decursum comitatur morbum nostrum, plerumque inflammatoria vel nervosa.

DECURSUS.

Desursus quantum variare possit, jam colliges e variis ac diversis morbis, a quibus pendet et quos comi-tatur. At quum non sit meum, describere morbos illos, brevibus modo mihi erit de ipso disserendum.

Rarissime, si ad aegrum accesseris, inflammationem reperies meram, multo saepius occurret suppuratio, vel

ulceratio, vel gangraena. Et tum decursus fere est hic:

Postquam per dies paucos symptomata increvere et latius dimanare, functiones fere omnes magis minusve turbantur, signa haud raro animadvertuntur sordium gastricarum, horroribus haud exiguis quatitur aeger, loca singularia mollescunt et cutis sub iis subsidit, plerumque jam digito percipis pus fluctuans sub cute collectum. Augentur symptomata et vel suppuratio clarius manifestatur, quae perrumpere tendit cutem, vel subito cutis corripitur gangraena, destruitur, et exitus puri aperitur.

Haud raro omnia profundiora destruuntur, priusquam pus per cutem viam sibi patefacit, et tum vix impediri potest, quominus maxima virium prostratione inducatur mors.

Febris plerumque paullo post exordium accedit, et morbum per totum decursum comitatur, vel exigua, vel vehementior, pro varia ratione ac natura morbi principis et pro vario ambitu, plerumque vel synocha, vel synochus.

PROGNOSIS.

In auguranda prognosi magni momenti sunt natura, sedes, circuitus morbi, qui cutem per consensum affecit. Leve et nullius omnino momenti nunquam fere est malum. Maximum vitae imminet periculum, si ulceratio telae cellulosae degeneratae magnum occupat locum, si gangraena partes profundas petit, si cito progreditur. Praeterea varii morbi varia praebent momenta prognostica.

CURATIO.

Remedia, quibus utendum est ad curandum morbum

nostrum, varia sunt ac diversa, pro varia natura morbi principis, quo natum est pseuderysipelas. Ubi inflammationem invenis, in usum vocabis remedia antiphlogistica. Adhibeas externe hirudines, epithemata frigida, glaciem, Aq. Goulardi, alia; maxime vero laudantur inunctiones unguenti neapolitani sat largae. Nec raro instituatur venaesectio necesse est.

Quod ad remedia interna, in morbi principio maxime utilia praedicantur, praesertim ubi saburrae animadvertuntur gastricae. Praeterea dentur salia neutra et alia antiphlogistica.

Si ortum est pseuderysipelas ex inflammatione partiali ac induratione telae cellulosae, summopere laudantur a Rustio fomenta ex infuso Chamomillae adjectis aceto saturnino et tinctura Opii.

Ubi autem fluctuatio docet, pus sub cute esse collectum, rei cardo in eo vertitur, ut quam citissime exitum ei concilies. Incisione utaris sat magna et sat alta, ut nil puris retineatur et sedes mali medicaminum administrationi omnino pateat, quae, si prorepit pseuderysipelas, amplificetur. Tunc ad sedem mali ipsam adigas injectiones et fomenta ex infuso flor. Chamomill., vel flor. Sambuc., vel Spec. aromatic., vel ex aliis, ut et removeatur ichor, et ulcus eo perducatur, ut granulationibus sanis repleri possit.

Sin pseuderysipelas offertur gangraenosum, haud mora incisione larga omnia pertundas usque ad focum morbi et removeas saniem. Tunc eadem ex usu sunt medica-

mina, quibus curatur gangraena, pulv. flor. Chamomill., Carbon., Camphor., Myrrh., Oleum terebinth., Acet. pyrolignos., Chlorum, Solut. calcar. chlorin., Cort. peruvian., Cort. Querc., alia. Serius, ubi gangraena ipsa jam est inhibita, remedia adhibeantur irritantia, quae faveant granulationi, vinum camphorat., ungt. elemi, ungt. de Styrace, ungt. basilic. cum tinct. Myrrh., ungt. basilic. etc.

Nec negligas oportet, vires remediis nutrientibus ac roborantibus sustinere.

VITA.

Ego Ottomar Schomburgk, d. XXI. mens. Junii anni MDCCCXI Querfurthi, patre Augusto, matre e gente Nagel natus, confessioni evangelicae addictus sum. Anno vitae quinto decimo gymnasium adii, quod directore Cel. Wieck Martisburgi floret; cui viro propter benevolentiam et humanitatem erga me maximas debeo habeoque gratias. Anni MDCCCXXXII mense Octobri maturitatis testimonio instructus inter cives Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus rei medicae per quatuor annos operam navavi. Praeceptores mihi fuerunt: Cel. Wolff de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Cel. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, anatomia organorum sensuum, anatomia universa; Ill. Mueller de physiologia. Arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm me imbuerunt. Disserentes porro audivi Cel. Eck de physiologia; Ill. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Osann de materia medica et de auxilio in repentinis vitae periculis praestando; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Cel. Kluge de arte fascias imponendi, de ossium fracturis et luxationibus, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, de akiurgia et de ophthalmiatrice; Ill. Hecker mihi Celsi de medicina libros et Burserii institutiones interpretatus est. Interfui exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels et Cel. Wolff, chirurgicis Ill. Rust, chirurgicis, ophthalmiatricis Ill. de Graefe, medico-chirurgicis Cel. Barez, ophthalmiatricis Ill. Kluge; nec defui exercitationibus practicis ad medicinam forensem pertinentibus duce Ill. Wagner.

Praeterea lectiones ad artem veterinariam spectantes frequentavi: Cel. Gurlt de zootomia; Cel. Reckleben de epizootiis et zoodiaeta; Beat. Naumann de equorum forma externa et habitu; denique interfui clinico veterinario Cel. Hertwig.

Quibus studiis peractis ex initio mensis Octobris anni superioris munere medico-chirurgi inferioris in nosodochio Caritatis functus sum et etiamnunc fungor.

Jam vero tentaminibus tam philosophico, quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES.

1. Arteriis vis tantum elastica est tribuenda.
2. Nullum symptoma ulceris specifici existit.
3. Aqua Laurocerasi nihil praestat.
4. Exstirpatio scirrhi est rejicienda.